



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 35. Conditiones utrique Regis Procuratori pro impetranda absolute
propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

sententias rogare cæperat, huicque negotio viginti tres omnino dies sacrabat: cum vero ex Cardinalium numero potissimi Regi absolutionem esse indulgentiam opinarentur, Papa rursus convocato Patrum Senatu declarabat, quod collectis omnium Purpuratorum sententiis eorum potissimi in eam abeant sententiam, quod Rex, ut in sinum Ecclesiæ recipi posset, ab Ecclesiæ censuris absolvendus esset, ac proin adjuvante Dei gratia cum ejusdem Procuratoribus agere vellet, ut eis ipse Regis nomine condiciones, & satisfaciendi modos injungeret, quos magis utiles, atque ad Ecclesiæ bonum, Deique cultum magis idoneos censebit. Equidem Marcus Antonius Columna Cardinalis quædam opponere parabat, verum Papa imposito mox silentio hæc reposuit: „abunde res discussa est, utpote ex potissimorum suffragiis decisa, proin haud „convenit, ut res jam composita, ac „semel rite conclusa rursus in controversiam vocetur.„ Hæc verba Pontifex voce animi firmitatem prodente pronuntians, Purpuratos valere iussit.

§. XXXV.

Conditiones utrique Regis Procuratori pro impetranda absolutione propositæ.

Rebus

Rebus ita dispositis cum Offato, & Sæcul. XVI.
 Perronio de absolutionis conceden- A. C. 1595.
 dæ conditionibus agebatur, erantque
 sequentes. I. Rex edictum pacifica- *Thuan. 63*
 tionis anno millesimo quingentesimo *Avil. l. c.*
 septuagesimo septimo datum revocet. II.
 Ad dignitates, & honores hæreticos non
 admittat, & quamprimum bello exter-
 no defunctus erit, curet, ut nulla alia
 præter Catholicam, Apostolicam, Ro-
 manam Religionem in Francia locum
 habeat. III. Idem ad servanda edicta, ac
 decreta in gratiam hæreticorum con-
 dita Catholicos non cogat. IV. A bello
 contra fœderatos, qui in armis adhuc
 sunt, desistat, eosque in gratiam ac-
 ceptos pristinis dignitatibus, & hono-
 ribus restituat, æquis conditionibus,
 de quibus Pontifex per Legatos suos
 cum Rege conveniet. V. Cum Rege
 Hispaniæ inducias pangat, quousque
 rationes pacis iniri possent, de quibus
 Pontifex pariter per suos Oratores cum
 utroque Rege aget. VI. Jesuitæ resti-
 tuantur. VII. Rex Benearni ecclesiis
 bona adempta restituat, aut compen-
 sationem det. VIII. Absolutio non
 Romæ a Pontifice, sed in Francia per
 legatum concedatur. IX. Ipse Rex
 denuo, & publice coram Legato suos
 errores ejuret, denuo consecretur, &
 insignia regni capiat, atque absolutio

Sæcul. XVI. Dionysiopoli a Præsulibus recepta omnino nulla declaretur. X. Ut habilis ad regnum reputetur, per Legatum, a censuris solvi efflagitet. Denique XI. Concilium Tridentinum in Francia recipi procuret.

§. XXXVI.

Hæ conditiones immutatae ob Offati, & Perronii oppositionem.

Thu. l. II3.

Offatus, & Perronius perceptis hæc conditionibus sese opponebant, hæc respondententes: (*) Reges Franciæ, quantum ad jurisdictionem spectat, nullum Superiorem agnoscunt, neque pati possunt Franci, ut Reges ipsorum ulli se tanquam Superiori submittant, hinc

(*) Cur autem ejusmodi responsum dederint, reticet Continuator, eam vero Thuanus his verbis explicat: *in arcano procuratoris viva voce, & pluribus ex locis tentati, an coronam ad pedes Pontificis deponere vellent, ac per illud signum, quasi regnum Francia in ejus manus consignare, quod ille se pro Rege gerens, quamvis a sancta Sede jure Successionis, & alio omni, quod in regno Francia sibi competere contendebat, privatus, contra divina jura, & humana occupasset, quam coronam post illam submissionem Pontifex in capite procuratorum mox reponeret.*